

AD
BENEVOLE AVSCVLTANDAS
QVINQVE
ORATIONES
CIVIVM GYMNASII HENNEBERGICI

EX EODEM ABITVRORVM


DIE XVII. APR. MDCCCXXXVIII.

HVMANISSIME INVITAT

M. ALB. GEORG. WALCH

PHILOS. ET MATH. PROF. ET DICTI GYMNAS. RECTOR.

Illustrantur simul loca aliquot librorum N. T. ex Euripidis Alceſtide.



SCHLEVSINGAE

STANNO IO. GEORG. MÜLLER, GYMNAS. TYPOGR.

Exeg.

C.

71,46

RECHENKUNST

ALTE

GRUNDRISS

VON

JOHANN

ALBRECHT

WALTON

LEIPZIG

VERLAG

1844

Preis


1 Thaler

1844

1844



Cum scriptione opus esset, qua diuulganda auditorium pararem nonnullis Gymnasi nostri alumni, recitata commentatione valedicendi officio defuncturis: tantopere me vrsit abeundi festinatio, vt nec in eligenda scribendi materia temporis nonnihil conterere, nec in inuenta re vel ordinanda vel ornanda diu versari possem: qua re factum est, vt excussa seligendi necessitate, quid lectorum, quibus scribo, humanitate dignum sit, ex recenti rerum nouissime traditarum memoria repetendam commentandi materiam putarem. Quum igitur nuper ab explicata *Euripidis Alcestide* ad Sophoclis, tragicorum principis, *Philocteten* transiissem; et in interpretanda illa fabula, dictione Euripidea, si comparandi opportunitas legenti sponte se obtulisset, interdum ad illustrandas voces in libris sacris posterioris foederis obuias, vti meminissem; exempla aliquot lucis, quantumuis exiguae, ex graecismo Euripidis in loca biblica noui foederis sparsae, apponere placuit. Non ignoro, iam plures viros graecarum literarum doctissimos, *Bosium*, *Elsnerum*, *Raphe- lium*, *Hombergkium*, *Palaietum*, *Kypkium*, *Münthium*, *Wetsteinium*, *Krebsium* aliosque ante me id subiisse, vt ex scriptoribus graecis, *Polybio*, *Xenophonte*, *Herodoto*, *Demosthene*, *Platone*, *Philone*, *Josepho* aliisque dictionem graecam scriptorum sacrorum illustrarent: quorum tamen vestigia sequi nequaquam sustineo; quum notulas, quas tra-



do, non operose conquisitas, aut doctrinae varietate probatas, sed subitanea loci sacri recordatione in interpretanda Alcestide ortas esse ingenuè profitear.

OBSERVATIO I.

Chorus Alcestidi piam pro marito mortem subiturae eximiam post fata beatitudinem apprecatur — *si quae, canens, bonorum copia apud inferos quoque bonis contingit, horum tu particeps Plutonis coniugi adsideas, versu 745*

— — — τέτων μετέχῃς
 Ἄλδῃ νύμφῃ προσεδρεύοις.

Vates potiolem dignitatis et honoris gradum, qui tantae pietatis foeminam post necis acerbitem in beatorum sede maneat, per ius adfidenti Proserpinae, inferorum reginae, et comitis instar latus eius premendi, designat, et Proserpinam quidem appellat, non ipsum Platonem, quia mulieris, non maris, beatitudinem praedicat. Quis vero est, cui haec legenti non sponte succurrat μῦθος ille elegantissimus, quo Christus communem perennitatem, sed disparem statum ac fortunam animorum vita defunctorum apprime depingit, Lazarumque illum, iniuriae et paupertatis saevitia, dum vitam traheret, oppressum, ait, geniorum ministerio in sinum Abrahami deportatum esse, Luc. XVI, 22. Ex mente nimirum Judaeorum Abrahamus, gentis suae et veri Dei cultus, ante Moſen, conditor in elysio ipsorum siue paradiso primas partes tenet; et qui affidet illi, siue in sinu eius accubat, secundas et proximas, perinde ac mulier in elysio affidens inferorum reginae. Geniorum autem, manes Lazari deducientium, in loco illo Euripideo vicem gerit Hercules ille ψυχοπόμπος.

OBSERVATIO II.

Eo ipso die, quo Alcestis annuentibus diis pro Admeti salute expirasset, Hercules labore sibi imperato perfuncturus, itineris longinquitate fessus, aedes Admeti adit, hospitii iura poscens. Quem quoniam

niam Admetus actutum abiturum praeuideret, si luctus causam rescuisset: animo magno et generoso coniugis necem celat, seruam obiisse simulans. Chorus aegre ferens, plus in rege valuisse hospitalitatis religionem, quam pietatis iuraet desiderium tam cari capitis, improbat hanc dissimulationem, ex rege quaerens versu 561

Πῶς ἔν' ἐκρυπτες τὸν παρόντα δαίμονα;

Wie in aller Welt hast du dein gegenwärtiges Unglück verschweigen können? quo in versu vox δαίμων usurpatur pro calamitate et infortunio. Dudum observatum est a viris doctis, scriptores etiam dictorum et factorum memorabilium Christi, quos Evangelistas vocant, saepenumero uti vocibus δαίμων et δαιμόνιον, pro quouis infortunio et malo grandi, praesertim cuius causa lateret. Rudis enim et incultae gentis est, effectum quemque, cuius causam ignorat, genio vel malo vel bono adtribuere, et ipsam genii huius appellationem pro effectu isto usurpare; qua re factum esse putant, ut in lingua latina, graeca et ebraica huiusque dialectis eodem nomine et motus aeris et ens simplex intellectu et agendi vi instructum indigitetur. Ex hoc igitur loco patet, etiam praeter hellenismum, in scriptoribus atticis δαίμονος vocabulo significari calamitatem, tam saevam quidem et insolitam, ut genii mali invidia immissa esse videatur.

OBSERVATIO III.

Multoties Alceſtis et a coniuge et a choro colloquente voce γύναι com- pellatur: et versu 135 chorus, de vita aegrotantis sollicitus, ex serua quaerit:

— εἶδ' ἔτ' ἔστιν ἐμψυχος γυνή

Ἐἶδ' ἔν' ὄλωλεν, εἰδ' ἔτι βεβλόμεθ' αὖν.

Utrum adhuc viua sit mulier, an vero perierit, scire velimus. Γυνή igitur honoris titulus fuit et reuerentiae, non ignominiae aut contemptus. Quod qui ex usu Euripideo didicerit, huic minus durum videbitur Christi illud: γύναι, τί μοι γὰρ σοὶ; germanice expressum: WEIB! was hab' ich mit dir zu schaffen?

) (3

OBSER-

OBSERVATIO IV.

Admetus beneficio coniugis in se collato commotus profitetur
versu 667

Τυχὼν σωτῆρος αὐγὰς εἰσορῶ.

Servatorem nactus lucem intueor. Qua igitur in sententia σωτῆρ iste appellatur, per quem quis vivit, seu qui vitam pro vita alterius servanda posuit. Quae appellatio igitur quo iure per eminentiam Christo tribuatur, in aprico est.

OBSERVATIO V.

Admetus moribundae coniugi fidem daturus se nunquam ea defuncta secundas celebraturum nuptias, illi declarat versu 330

— — — καὶ θανῶσ' ἐμὴ γυνὴ
Μόνη κεκλήσῃ.

Mortua mea coniux tu sola vocaberis: quo in effato καλεῖσθαι, vocari, idem est ac εἶναι, esse; quod vel sine exemplo ex cuiusque sermonis indole per se patet. Eodem modo et Philoctetes tragicus in *Sophocle* versu 231 Graecis naui egressis acclamat:

— ὀκτίσαντες ἄνδρα δύσηκον, μόνον
Ἐξημον ὦδε κάρηλον καλέμενον.

Misereamini viri infelices, qui hic solus, desertus et amicorum expers vocatur, siue est. Deus, cum per genium diuinitus missum Mariae virgini annunciandum putaret, fore ut puerum enitatur, qui olim Messias futurus sit, haec addit: ἔσται μέγας καὶ ὃς ὑψίστος κληθήσεται. — *Hic magnus erit et filius altissimi appellabitur* Luc. I, 32. Sunt quidem, qui recte hoc a Gabriele enunciari putent, filium nimirum Mariae filii Dei appellatione insignitum iri, ita nimirum, ut non opus sit subtili disquisitione, quo iure et quo modo αἰγιώμα hoc diuinum gerat: at alii quoque reperiuntur interpretes, ii praesertim, qui oracula divina vel breuiter vel ambigue, sapienter tamen, dicta suo ingenio vberius declarare

rare

rare et determinare fatagunt, qui vaticinium Mariae dictum: filius tuus filius supremi *appellabitur*, ita interpretandum iubeant: filius supremi *erit*. Quam interpretationem qui tuentur, vim verbi καλεῖσθαι, qua *esse* significat, praeter alia multa exempla etiam ex locis descriptis Euripidis et Sophoclis comprobare valent.

OBSERVATIO VI.

Choro quaerenti, annon spes vitae seruandae Alcestidi suppetat, serua respondet versu 145

Πεπρωμένη ἡμέρα βιάζεται.

dies eius fatalis violenter appropinquat. Hic plane peculiaris vsus vocis βιάζεσθαι subest, cum violentia quadam ingruere, cum vsitatio eius significatus sit, vim inferre. Christus eadem voce utitur Matth. XI, 12. ἀπὸ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννου τοῦ βαπτιστῆ ἕως ἄρτι ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται, a diebus inde Ioannis Baptistae ad hunc vsque diem *vis infertur regno coelorum* — *leidet das Himmelreich Gewalt* — obscura plane sententia. Quid impedit, quo minus Euripidem secuti verba haec ita vertamus: *das Himmelreich d. i. die neue durch meinen Tod und meine Lehre zu bewirkende Einrichtung der Kirche Gottes hier auf Erden, bricht nun mit Gewalt ein.*

OBSERVATIO VII.

In rixa illa Admeti cum patre, quam cum *Wielandio* ex fabula omnino abesse vellem, etiamsi vates a criminationibus huius aemuli in eadem fabula tractanda excusari posse mihi videtur, filius parenti exprobrat, quod aetate iam confectus, ignavus mortem exspectet, cum, si pro Alcestide florente vitam despondisset, cum laude moriturus fuisset, versu 648

Καί τοι καλὸν γ' αὖ τόνδ' ἀγῶνα ἡγωνίσω.

quo in loco καλὸν ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι idem est ac *cum laude mori*. Eadem phrasis et a Paulo usurpatur 2. Tim. IV, 7, de se ipso dicente:

τοῦ

τὸν αἰγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι — eodem, vt opinor, sensu: de se enim quasi iam moribundo loquitur, quod ex sequenti τὸν δρόμον τετέλεκα patet.

Alia adhuc Alcestidis Euripideae loca notavi, quae notularum materiem praebere possent:

Verum haec ipse equidem spatiis exclusus iniquis
Praetereo, atque aliis post me memoranda relinquo.

Ex Gymnasii nostri ciuibus, qui paschali hac tempestate vel Principum suorum vel suo iudicio, studia academica auspicaturi ex Gymnasio discedunt, quini religioni sibi duxerunt, non sine publica grati animi significatione almam hanc studiorum suorum matrem relinquere. Quisque igitur declamationis habendae materiam sibi elegit, qua praemissa Gymnasio rite ac pie valedicet.

HENR. GUIL. DORN, Henstadiensis, de *utilitate iuueni ex solitudine capienda* differet.

IO. CHRIST. FRID. SIMON, Oberweydensis, ex Hennebergia Isenacensi, de *Antiquitatibus Palmyrenis* enarrabit.

ADOLPH. GUIL. FRID. SEIDLER, Zilbacensis, ex Hennebergia Isenacensi, de *origine et antiquitate circumcisionis* disputabit.

IO. ERNEST. GUIL. WEIGAND, Roemhildensis, de *utilitate bellicorum* declamabit, et

IO. CHRISTOPH. ERDMANN HOELZER, Lobensteina-Variscus, *carmen germanicum de die nouissimo* recitabit.

Quibus vt iuuenibus discessuris postremum hunc elementiae et fauoris documentum praebeatis, vt declamaturis frequenter velitis adesse, Vos, Maecenates, Patroni ac Fautores musarum nostrarum enixe rogo, simulque Deum precibus meis imploro, vt abituros fortunet ac tueatur, suisque auspiciis studia eorum bene apud nos incoata ad finem sibi parentibusque optatum deducat.